

ratorium confessionem, scilicet si quis profiteatur sibi fuisse solutum, quæ valet, etiamsi causa non sit expressa; idque in favorem liberationis; *Leg. XIV. Cod. de Solutionib.*

## ARTICULUS IV.

## DE JURE JURANDO.

XVIII. Ubi Judici non licuit per Testes, Instrumenta, aliasve similes ordinarias probationes veritatem elicere, juramentum adhiberi solet, quo veritas ab ipsis contententibus, interposita religione, exquiratur. Unde à Romanis Jusjurandum maximè expediendarum litium remedium habitum est: *Leg. I. Dig. de Jurejurando.* Ac merito *Suppletorium* audire consuevit, quippe quod defectum probationum suppleat. Namque non nisi ob defectum probationum à Judice per Jusjurandum litem aliquam decidi oportet. (\*\*). Id quod agnovit præf. Syn. Tolet. VIII. Can. VIII. n. 24. *Quod si et testis deficiat, innocentis fidem sola Jurisjurandi taxatio manifestat:* et Alphonsus Sap. *Leg. II. et IX. Tit. XI. Partit. III.* (\*)

XIX. Jusjurandum trifariam partiri solet: nempe ut aliud sit Judiciale, aliud Necessarium, et aliud Voluntarium. Dicitur Voluntarium, quod extra judicium pars parti defert in modum transactionis: *Leg. II. III. XVII. et XVIII. Dig. de Jurejur.* Judiciale dicitur, quod in judicio, seu adprobante Judice pars parti defert, vel refert: *XXXIV. §. 7. et 8. Dig. ibid.* Defert autem jusjurandum, qui offert alteri jurandi conditionem; refert verò, qui jurandi conditionem sibi oblatam rejicit in offerentem. Necessarium demum est, quod ad litem decidendam Judex imponit, eaque intentione ab utroque litigante præstatur, ut secundum illud Judex pronuntiet: unde *Litis decisorium* vulgò dicitur. (\*\*). Eandem Jurisjurandi tripartitam notionem invenies usurpatam in *præf. Leg. II. Tit. XI. Part. III.* (\*)

XX. Jam verò ex nonnullorum Canonistarum sententia bipartita dumtaxat est jurisjurandi divisio, ita ut Judiciale, et Necessarium unum idemque juramenti genus sit. Neque enim illis adsentimus Doctoribus, qui censent jusjurandum à parte parti deferri, vel referri posse, etiamsi aliunde probationes haberi possint. Profecto nimia hæc in jurejurando deferendo, vel referendo facilitas Judici permitenda non est: quam latissima enim perjurii muniretur via.

XXI. Igitur juramentum Judiciale, sive Necessarium, *Suppletorium*, aut *Litis decisorium* illud dicas, quod non nisi plena probatione deficiente, vel paribus ex utraque parte exstantibus argumentis, adeo ut causa nimis dubia sit, à Judice actori, vel reo defertur, ut indè veritas in apertum proferatur: *Leg. XXXI. Dig. Jurejur.* Quamobrem merito Necessarium nuncupatur, tum quia necessario à Judice propter defectum probationum defertur, tum quia necessario à parte, cui imponitur, subeundum est, nisi causa cadere velit. Excipe ubi deferatur Actori plene probanti, vel reo adversus quem nihil probatum sit: *Leg. XII. Cod. de Rebus credit.* In quod in criminalibus præsertim locum habet, in quibus reus criminis damnandus non est, nisi ex clarissimis probationibus: *Leg. fin. Cod. de Probationibus,* (\*\*). et *Leg. X. Tit. XI. Partit. III.* (\*)

XXII. Quid quod etiam in causis civilibus non nisi parce, et summa cum prudentia juramentum deferendum est? Admodum enim facilè est, ut homines lucri cupiditate adlecti perjurium committant. Unde in antiquis Visigothorum legibus *Lib. II. cap. 22.* et in Capitularibus Reg. Francorum *Lib. VII. cap. 97.* sancitur, ut Judex pro virili nitatur per testes, vel per scripturas veritatem extundere: *Ne ad Sacramenta facile veniatur. Ut Sacramenta cito non fiant.* (\*\*)

Qua de re Alexander III. in *Cap. 2. de Probationibus*, quum apud quosdam consuetudo invaluisset, ut etiam si actor plene probasset, jurare cogere, in hunc modum edixit: *Sane quoniam apud vos consuetum esse didicimus, ut quum aliquis intentionem suam fundaverit instrumentis, aut testibus, ei Sacramentum nihilominus deferatur, quod si subire noluerit, fides probationibus non habeatur: Nos [quum tunc demum ad hujusmodi sit suffragium recurendum quum alia legitime probationes deesse noscuntur] talem consuetudinem reprobamus.* (\*)

## ARTICULUS V.

## DE OCULARI INSPECTIONE.

XXIII. Non levis ponderis est probatio illa, quæ dicitur *Ocularis inspectio*, quæque fit per judicis accessum, et inspectionem. Ejus præcipuus usus est in iis, quæ oculis subjiciuntur; uti est in judicio finium regundorum, vel quum agitur de novo opere ædificando, vel de veteris ædificii facie immutanda. Verùm in his, aliisque id genus judiciis satis non est, ut judex ipse accedat ad inspiciendum, sed requiritur, ut peritis utatur à jure ad id muneris constitutis; qui omninò requiruntur, licet judex ipse inspecturus accedat: adhæc litigatores legitime advocandi sunt, quorum quisque in hac causa Actor est, et Reus: siquidem de utriusque præjudicio ex æquo agitur: *Leg. VIII. §. un. et X. Dig. Finium regund. Leg. XLIV. §. 4. Dig. Familiæ crcisc.* (\*\*). Hoc probationis genus etiam in antiquis Hispaniæ Ecclesiæ judiciis locum obtinuisse, constat. Patres enim Syn. Hispal. II. *Can. II.* querimoniam inter Fulgentium Astigitanum, et Honorium Cordubensem agitatam, propter Parochiam cujusdam Basilicæ, quam eorum alter Cælestinensem, alter Reginensem adserebat, ad litem terminandam *inter alternas partes inspectionis viros mittendos* decreverunt, ut actio limitum ab utroque Episcopo vindicata, hoc modo pateferet. In civilibus judiciis æque admittendam esse hanc probationem sanxit Alphonsus Sap. *Leg. VIII. et XIII. Tit. XIV. Partit. III.* (\*\*). De reliquis Probationum speciebus mox *Tit. sequenti.*

## CAPUT DUODECIMUM.

## DE PROCESSU CRIMINALI INSTRUENDO.

*De Judiciis Criminalibus Jure Ecclesiastico Antiquo.*

I. Criminum vindictam quod spectat, distinguendum omninò jus antiquum inter, et novum. Jure namque antiquo, uti ex veterum Conciliorum Actis elucet, istiusmodi pæne erat. Primo querela libello conscripta ab accusatore Episcopo, vel Synodo pro personæ accusatæ conditione exhibebatur. Neque enim facilè sine accusatore, et libello veteres judicia instituebant; unde quædam accusationis species in Ecclesia jam indè à primis sæculis videtur fuisse servata. Profecto Optatus Milevitanus, quod Macario homicidii nomine accusato communionem non denegaverit, in hunc modum se purgat: *Exempla sileantur, dicamus et nos quod dicitis, reum fuisse Macarium: quod si fuit accusatore silente a nobis non licuit abstineri. Scriptum est enim ante cognitam causam neminem esse damnandum: dicitur quis eum accusavit, et auditus non est? Dicitur Macarium confesum esse culpam, et nostram siluisse sententiam? Simus enim qualescunque ju-*

dices in Ecclesia, quod et ipsi non negatis, quod nos iudices esse veros al. iudices severiores debere fuisse contenditis. Non enim possumus facere, quod non fecit Deus, qui in iudicio suo personas separare dignatus est: nec eundem voluit esse accusatorem iudicem. Non enim potest quis in una causa eodem momento duas portare personas, ut in eodem iudicio et accusator esse possit, et iudex. Quod Deus nec per Omnipotentiam fecit, ut nobis iudicandi formam ostenderet, docuit, reum sine accusatore non debere damnari, aut accusatorem eum esse, qui iudex in ea causa futurus est. Quod contractius tradit Augustinus Hom. I. de Pœnit. Nos a communione prohibere quemquam non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico iudicio nominatum, atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat adsumere, ut cuique ipse sit accusator et iudex? In his sanè productis Optati, et Augustini auctoritatibus antiquæ Ecclesiasticæ in criminosos animadvertendi disciplinæ veluti scintillæ exsiliunt.

II. Accusatus verò ter, quaterve in jus vocari solebat, ut defensionis locus non deesset. In Synodo Chalcedonensi Eutyches ter ex Episcoporum sententia, ut ad Synodum accederet, compellatus est. At citatus si coram adesse detrectaret, ipse ob contumaciam (quæ crimen acerbissima semper pœna dignum habitum est) excommunicationis, vel depositionis pœna multabatur: quod eadem Synodus in Eutychem præstitit. Quod si coram adesset, interrogatus audiebat pro se dicturus, ipseque vicissim testes audiebat, instrumenta inspiciebat: si quid ipsi excipiendum, vel respondendum superesset, id ei licebat: denique Episcopus, vel Synodus sententiam dicebat.

III. Porrò in eis peragendis plura quam diligentissime observabantur: 1. ne quæ temere præsertim adversus Presbyterum, et Episcopum, reciperetur accusatio; pro quibus tanta diligentia electis illa jure ponderosa habebatur præsumtio; ne facillè crederetur, nisi quod duobus, vel tribus testibus probatum esset; et quidem juxta mandatum Apostoli I. Timoth. V. v. 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus.* (\*\*). Cujus quidem Pauli testimonio edocti Patres Syn. Bracar. II. *Can. VIII.* ita decernunt: *Si quis Clericorum aliquem in accusatione fornicationis impetit, secundum præceptum Pauli Apostoli duo, vel tria testimonia requirantur ab illo.* (\*) Quæret fortasse quispiam, æurnam hic Apostolus peculiare de Presbyteris mandatum dederit, quum lex sit omnibus communis, ne scilicet quis uno contra se dicente testimonium condemnetur, sed ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum? *Deut. XVII. v. 6. et XIX. v. 15.* Sunt qui censent Apostolum eo spectasse, ut ejusmodi cautio, cum laicis etiam alioquin adhibenda, religiosius servaretur cum Presbyteris, qui sanctiores habentur, magisque immunes, quorum dignitas sublimior est, nomenque odiis magis obnoxium. At verisimilior illorum videtur interpretatio, qui docent, Apostolum non de condemnatione solum loqui, verum et de accusatione, atque adeo magis proprie de accusatione: adeo ut præcipiat, ut si laicus, licet ab uno accusatus, damnandus non est, nisi duorum, aut trium testimonium criminis veritatem contestetur: adversus Presbyterum tamen ne accusatio quidem recipiatur, nisi duorum, aut trium testimonio firmata. Idque tum pluribus de causis, tum vel maximè quod haud raro fideles Presbyterorum, atque adeo Pastorum suorum correctionibus offensi, eorum crimina exaggerare consuecant, atque ad ipsos criminis insimulandos facillè prosiliant.

IV. Tum 2. studiose inquirebant in accusatores, (\*\*). num probi, et fide integri, an verò subdoli, et mendaces; uno verbo, utrum ex *Legum, ac Canonum sententia* idoneas ad accusandum personas esse, constaret; uti constituit Syn. Tolet.

VI. *Can. XI.* Imò nisi accusatores objectum crimen aliis etiam testimoniis confirmarent, excommunicationis pœna, quæ in accusatos infligenda foret, plectebantur; id quod sanxit præf. Syn. Bracar. II. *Can. VIII.* eamque excommunicationem perpetuam esse constituit Syn. Illiberit. *Can. LXXV.* his verbis: *Si quis autem Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum falsis criminibus appetierit, et probare non potuerit, nec in fine dandam esse communionem.* (\*) Inquirebant etiam, et potiori jure in testes, scilicet qui essent, qualesve, quibus moribus, qua fama, et quo animo ad dicendum testimonium accessissent. Unde in falsos testes jus talionis sancitum reperitur: *Deut. XIX. v. 19. Constit. Apost. Lib. XI. cap. 49. Leg. I. II. et III. Cod. Theod. de Calumniat. (\*\*). Leg. VI. Tit. IV. Lib. II. For. Judic. Leg. XXVI. Tit. XI. Part. III. et Leg. IV. Tit. XVII. Lib. VIII. Nov. Recop.* Tum in falsos testes secundum objecti criminis gravitatem animadvertendum præcipit Syn. Illiberit. *Can. LXXIV.* (\*)

V. Adhæc rei ad exemplum terroris publice increpabantur; rei scilicet non quilibet, sed qui publico iudicio convicti essent: *Apost. I. ad Timoth. V. v. 20.* Sicuti enim haud facillè accusatio recipienda, ita quum quis legitimo fuerit iudicio convictus, ei parcendum non est, sed *coram omnibus*, id est palam, et in publico Ecclesiæ conventu arguendus.

VI. Summopere etiam 4. cavebant, ne in *acceptionem personarum* divinis oraculis toties damnatam inciderent, quippe qui persuasi, fore ut quo iudicio judicarent, ipsi aliquando judicarentur: *Deut. I. v. 17. XVI. v. 19. Matth. VII. v. 2. Constit. Apost. Lib. II. cap. 57.*

VII. Demum 5. ut omnia rite, legitimeque confecta constarent, Notarii h. e. Diaconi, vel Lectores per notas, sive sigla scribere parati, cuncta, quæ in iudicio fiebant, dicebanturque, cum à Judice, tum à Partibus distincte, suis ipsorum verbis, ne interruptionibus quidem, et exclamationibus omissis, scripto consignabant; cui veluti processui, instrumenta prælecta inserabantur, ut de iudiciorum integritate constaret posteris. Hæc iudiciorum Ecclesiasticorum in criminibus vindicandis faciès antiqua.

## ARTICULUS I.

## DE PROCESSU CRIMINALI INSTRUENDO JURE DECRETALIU.

VIII. Secutis temporibus Juris Romani studium, uti in causis civilibus, ita et in criminalibus sollempnia formularum, plurimasque ambages, quibus hodiernus criminalium iudiciorum ordo scatet, è foro laicali in Ecclesiasticum innoxit: hanc iudicandi rationem qua possumus hic brevitate, et perspicuitate explicandam adgredimur.

IX. Ac primo receptis jam, probatisque accusationibus, de quibus *supr. Tit. IV.* tum et testibus auditis, aliisque præviis jam expletis informationibus, ut ajunt, Iudici inspiciendum est, num rei captura decernenda sit, an verò simpliciter citandus. Neque enim quemquam fas est in carcerem detrudi, nisi quem legitima indicia, vel gravioris admissi criminis, vel fugæ suspectum fecerint. Hanc inquisitionem tum jus civile *Leg. II. Cod. de Custod. reorum, (\*\*)* et *Leg. I. Tit. XXIX. Partit. VII. (\*)* tum jus Canonicum *Cap. 15. de Sentent. excommunic. in VI. (\*\*)* et Syn. Valent. an. 1565. *Sess. III. Tit. III. cap. 3. (\*)* Iudicis prudentiæ prorsus committunt; adeo ut ex *Constit. Regni contra effrenatos* capitali iudicio subjiciantur, qui sine Superiorum mandato personam aliquam, vel bona capere, retinere, vel custodire audeant. (\*\*). Nemini autem, nec Alguacellis ad id

deputatis licet absque iudicis mandato quemquam capere, vel ejus bona detinere, aut sequestrare: *Leg. V. et VII. Tit. XXIII. Lib. IV. Novæ Recop.* Quenam verò oporteat esse inquisitio, ut Clericorum famæ quam delicatissime consulat Judex Ecclesiasticus, disserte docet Syn. Ovet. an. 598. *Can. II.* scilicet, ut si de Clericis quicquam malum fama dictaverit, *omnia argutissime perquirantur, ut neque per falsitatis obumbrationem quisquam notetur; neque per quasdam excusationes admissum facinus operiatur.* (\*)

## ARTICULUS II.

## DE CARCERUM QUALITATE.

X. Rei in carceres detrusi custodiæ dumtaxat nomine sunt detinendi, haud verò ut ibi torqueantur ad interitum, macerentur inedia, aut acerbitate ulla affligantur: *Leg. VIII. §. 9. Dig. de Pœnis, (\*\*)* et *Leg. XI. Tit. XXIX. Partit. VII. (\*)* Unde Fridericus II. Const. *Humanitatem* diserte sanxit: *Squalore carceris macerari non volumus accusatum.* Et Carolus Borbonius Pragm. an. 1738. tum antiquas regias Pragmaticas horridos, asperioresque carceres jam vetantes innovavit: tum quosque Regiarum Audientiarum aulæ præfectos jussit bis quotannis carceres invisere, atque ut ad præscriptam Regiis sanctionibus formam construantur, vel reducantur, curare. Et Syn. Provinc. Neap. an. 1699. *Tit. XII. Cap. 1. n. 5.* Episcopis in hunc modum præcipit: *Assidua carcerum visitatio non omittatur, atque eorum indigentia, qui ibi intrusi sunt, explorentur; et cura præsertim spiritualis eorum salutis habeatur; quamobrem confessoriorum copia iisdem præbeatur, et quotannis missiones in carceribus fiant. Inquiratur etiam custodum fidelitas, ne ab iis, aut a cursoribus Curia aliquid ultra taxam ipsis præscriptam exigatur.*

(\*\*) XI. Principes etiam nostri humanitate et pietate conspicui ab squalidis, atris, et horridis carcerum ergastulis abhorrentes, plura pro reorum commoditate servanda præscripserunt. 1. Ut clarum diei liceat eis aspicere, et lampas ardens in medio carceris per noctem adponatur: 2. ne gravibus torqueantur catenis, compedibus, aut manicis sub capitali pœna custodi carceris imposita: 3. ut necessaria ad victum, et aqua ad bibendum ipsis parentur: 4. ut bis in hebdomada cubiculorum sordes verrantur. Ita Alphonsus Sap. *Leg. VI. et XI. Tit. XXIX. Part. VII.* et Philippus II. *Leg. III. Tit. XXIV. Lib. IV. Nov. Recop.* Ut autem hæc accuratissime custodiantur constitutum est, ut bini in unoquoque Sabbato Supremo Senatus Ministri Matritenses carceres, ac reliquos Regii Audientiarum Præfecti invisant: *Leg. I. III. et IV. Tit. IX. Lib. II. Nov. Recop.* Præterea Sabbato ante Dominicam Palmarum, et in Vigiliis Pentecostes, et Natalis Domini omnes Supr. Castell. Senat. Regiique Audientiarum Ministri in unum conveniunt ad Regios carceres invisendos; atque in hisce generalibus visitationibus, sicuti et in particularibus leves reorum causæ expediuntur. Jure Ecclesiastico nullus olim deputatus erat carcer Clericis custodiendis; Clericis enim refugis, et Episcopis eos receptantibus absque proprio Episcopi licentia, decreta erat excommunicationis pœna. Delinquentes, ut ad bonam frugem redirent, et fidellam delerent scandalum, in Monasteria pœnitentiæ causa trudebantur. Verùm tota civilium iudiciorum forma in Ecclesiam inducta carcerum quoque usus inductus est; non tamen, uti putant nonnulli, sano consilio; ea ducti ratione, quod publicus Episcopalis carcer locus aptus non est ad pœnitentiæ, emendationem, et fidelium obliterandum.

scandalum, id quod unum exigendum esset à Clericis delinquentibus. Experientia compertum est, carceres, accedente præsertim plurium criminorum consortio, peiores ibi oculos reddere. Clerici verò in publicum Episcopalem carcerem detrudendi *trahendi sunt modeste, ac decenter. . . . ut Ecclesiastici Ordinis, et dignitatis magna ratio habeatur*, ut sanxit Syn. Valent. an. 1565. *Sess. III. Tit. III. cap. 3.* quin et ea qua par est humanitate, atque etiam veneratione haberi debent; quocirca Episcopis injungitur, ut saltem semel in mense suos adeant carceres, suoque ibi mandato retentos Clericos visitent: Syn. Prov. an. 1565. Tolet: *Act. II. cap. 13.* et Compostell. *Actione III. Decret. 1. (\*) (1)*

## ARTICULUS III.

## DE CITATIONE REORUM, EJUSQUE VARIIS SPECIEBUS.

XII. Quum reus neque fugæ suspectus est, neque pœnæ relegationem excessuræ videtur obnoxius, poterit à Judice simpliciter *ad informandum* citari. At quoties in caussis etiam levioribus vel plena habeatur probatio, vel indubia occurrant indicia, tunc Judici jus est decernere, *ut reus citetur ad informandum, et capiatur.* Quæ citatio *personalis* à forensibus vocatur: ea enim ipsamet persona in iudicium sisti cogitur, atque ad carceris custodiam vi publica pertrahitur. Verùm quum indicia oppido levia sint, licet crimen sit capitale, Judici tamen nonnisi citatio *ad deponendum tanquam principalis* decernenda præscribitur. At si citatus ad deponendum in iudicio se non ostendat, inque contumaciæ crimen incurrat, tum rectè Judex decernet: *Citetur ad informandum, ex quo contumax ad deponendum:* indiciorum enim defectum contumacia supplet. Demum ubi crimen sit prorsus ambiguum ad deponendum simpliciter inquisitus plerumque citatur; præsertim si bono fruatur nomine, vel saltem malo non labore: gravia enim requiruntur indicia, ne temere alicui crimen adfigi videatur. Postremo citatio *ad dicendam causam quare* à Judice haud raro decernitur, eaque in Curia Ecclesiasticis præcipue locum habet, quum de aliqua censura infligenda agatur. Tunc enim reus citatur *ad dicendam causam quare non debeat excommunicari, suspendi, aut interdici a divinis:* vel si latæ sententiæ ea fuerit *quare declarari non debeat incidisse in excommunicationem &c.*

XIII. In jus vocatus citatione personali, si infirmitate, aliove legitimo detineatur impedimento, excusatur: *Can. I. Causa 5. Q. III. Leg. XV. §. 1. Dig. Ad Leg. Jul. de adult. coer. (\*\*)* et *Leg. XI. Tit. VII. Partit. III. (\*)* Illustres dumtaxat personæ criminalia iudicia per procuratores subire non vetantur: *Leg. ult. Cod. de Injuriis.* Eandem prærogativam Fridericus II. indulsit Universitatibus: Const. *Generalia jura. (\*\*)* Non excusabantur olim in Hispania ex *Leg. XI. et XII. Tit. V. Partit. III.* ac dein consuetudine inductum fuit, ut id genus reorum sive nobiles sint, vel ignobiles in iudicio se sistant per Procuratores. (\*)

## ARTICULUS IV.

## DE PœNA CONTUMACI ADFIXA.

XIV. Citatum intra statutum à lege tempus in iudicium venire detrectantem, iudex contumacem rite declarabit. Ut autem contumaciæ pœnis obnoxius fiat, ne-

(1) Lapsis sexaginta horis, reus præsumptus, vel à iudice declaratur, bene detentus, vel solutus, juxta Constitut. general. in art. 151.

cessum omninò est, ut semel atque iterum contumaciæ incusetur, legitimo inter utramque incusationem dilapso spatio. Porrò pœna, qua in contumaces animadvertitur, in Curiis sæcularibus est multa pecuniaria, (\*\*\*) vel alia acerbiori secundum delicti, vel contumaciæ gravitatem ex Jure nostro Regio *Leg. III. Tit. X. Lib. IV. Nov. Recop. (\*)* in Ecclesiasticis verò est pœna tantum spiritualis, uti in caussa fidei excommunicatio: *Cap. 7. de Hereticis in VI.* aliave similis in ceteris fori Ecclesiastici caussis levitati, vel gravitati criminis, aut contumaciæ adtemperanda: *Cap. 8. de Dolo, et contum.*

XV. Demum in ipso delinquendi actu, sive, ut ajunt, in *flagranti* crimine quisque non modo à publicis Curiaë satellitibus, verum et à quibuscumque etiam privatis deprehendi, vinculis constringi, suoque judici exhiberi poterit, præsertim si agatur de furibus manifestis: *Leg. III. §. 1. Dig. de Furtis;* de raptoribus virginum, vel viduarum, diaconissarum, iisdemque auxilium præstantibus: *Leg. LIV. Cod. de Episc. et Cleric. (\*\*)* Consonat hisce legibus Alphonsus Sap. in *Leg. II. Tit. XXIX. Partit. VII. (\*)* de maleficis, h. e. magicis artibus cuicui nocentibus: *Leg. ult. Cod. de Malef. et mathem.*

## ARTICULUS V.

## DE EXAMINE REORUM.

XVI. Reus in judicio jam constitutus legitimum debet examen subire, suoque judici legitime interroganti de Capitibus jam collectæ informationis respondere: (\*\*\*) *Leg. IV. Tit. XXIX. Partit. VII.* Imò Jure nostro Hispano ipse per se Judex hujusmodi reorum examen peragere tenetur: *Leg. LX. Tit. V. Lib. II. et Leg. L. Tit. IV. Lib. III. Nov. Recop. (\*)* Verum legitimo reorum examini, ut accusatores intersint antiquæ tum Civiles, tum Canonicæ leges præscribunt. At jure recentiori Fiscalis tantummodo Ministri præsentia requiritur; cui etiam aliquando conceditur postulare, ut inquisiti examinentur cum particula *monitus*, et quidem ubi graviora, sive, ut ajunt, arcta ad torturam habeantur indicia; secus illi particula nullus erit locus. Particula *monitus* ea vis inest, ut reo crimen deneganti singula detegantur, cum quæ urgent indicia, tum quæ congesta sunt testimonia, ab quibus ipse et mendacii, et perjurii nomine redarguatur: ideoque monitum se habeat, divino, humanoque jure obstringi ad veritatem suo judici legitime interroganti pandendam. (\*\*\*) In quibusdam Fori Ecclesiastici Tribunalibus inductum est in Hispania, ut reorum examini Fiscalis intersit; at hæc praxis generatim non obtinet. In sæcularibus verò nunquam citatur fiscalis, ad confessionem reorum audiendam; sed sola Judicis, et Notarii excipientis præsentia peragitur. (\*)

## ARTICULUS VI.

## DE INTERROGATORIIS.

XVII. Examen reo deferendum est juxta Interrogatoria, quæ Minister Fiscalis, aliusve officialis quantocius judici post citationem exhibere cogitur. Hisce Interrogatoriis reum in judicio sistentem sine mora respondere oportet; neque datur ei dilatio ad deliberandum: atque adeo reus plerumque prius interrogatur, quam ipsi dentur defensiones, tradaturque exemplar indiciorum, sive informationum. Tum Judici sive Commissario diligentia quantamaxima inspiciendum est, num

reus constans sit in deponendo, an vacillet; num aliquod timoris indicium prodat, voce, colore, trepidatione: num contraria sibi, et repugnantia imprudens proferat &c. Notarius autem non responsa modo, singulaque verba scripto consignet, verum et omnes, quos reus vultu, aliove indicio exerat animi motus.

## ARTICULUS VII.

## DE TESTIUM REPETITIONE.

XVIII. Examine peracto, vel confestim, vel post dilatas, (si quas reus protulerit) exceptiones, datur ei à judice terminus dierum fere quatuor, vel plus, minusve judicis arbitrio, tum reo ad sese defendendum, tum ministro Fiscalis, ut ajunt, ad impingendum. (\*\*\*) Jure nostro Regio, et Ecclesiasticorum Judiciorum moribus, examine confecto, et recognita à Fiscalis rei confessione, iste accusationem exhibet, cujus trasumptum reo traditur: *Leg. XXXVII. Tit. XVI. Partit. III. et Leg. XIV. Tit. I. Partit. VII.* ut intra tres dies suam paret proponendam defensionem: *Leg. VI Tit. VI. Lib. II. Novæ Recop. (\*)* Quoniam verò testes, prius quam reus in jus vocatus suas proferre sinatur defensiones, ad pœnam inferendam nullo pacto valent, et quidem utroque jure civili, et canonico: *Novell. XC. cap. 9. Cap. 2. de Testibus. Can. VII. Causs. 2. Q. I.* Hinc primum Testes, ut ajunt, recolligendi sunt, sive denuo audiendi, citato antea reo ad videndum ipsorum juramenta, cui etiam eorundem testium nomina, et cognomina sunt patefacienda. Ita jus nostrum municipale ex *Pragm. I. de Testium refranat.* et probata utriusque fori antiqua consuetudo. (\*\*\*) Similiter jure Hispano cautum est: *Leg. XV. Tit. VII. Lib. II. Novæ Recop.* quam quidem secundam hanc testium depositionem, uti prorsus necessariam, atque essentialem habent Juris periti, ac vulgò *Ratificationem* adpellant. (\*)

XIX. Fori Ecclesiastici peculiaris mos est, ut reus advocatus *ad videndum jurare, ac repeti eosdem testes*, possit capita suæ inquisitionis petere, ut indè interrogatoria conficere possit, ad quæ intra statutos dies exhibita testes examinentur, antequam suas instaurant depositiones, alias Actus nullitatem contestando denuntiat. At id juris in foro laicali jamdiu exolevit.

XX. Atqui Testes satis non est, ut congruas adhibeant rei interrogatoriis responsiones. Etenim de integro à judice legitime interrogandi sunt, perinde ac si nunquam interrogati fuissent; ita Rex Ferdinandus *indicata Pragm. I.* Neque ad priores sese referre quiverint depositiones, ni falsitatis nomine suspectos se prodere velint. Bene verò quisque testium, postquam Judici interroganti suis responsis jam satis fecerit, petere haud vetatur, ut prior sibi relegatur depositio, si quid in ea ipsi corrigendum occurrat: at integrum judici est disquirere quonam animo, quave caussa superiore depositionem velit corrigere. Adhæc ubi in priori examine Testes vel negligentia, vel dolo in quibusdam necessariis capitibus examinati non fuerint, vel obscura, aut ambigua interrogatoriis responsa dederint ejusmodi vitiis posterius hoc examen medebitur. (\*\*\*) In Hispania necessum non est, ut testes de integro à judice interrogentur, sed satis est, ut prior ipsis relegatur depositio, an ratam habeant, an eam omninò, vel partim corrigere velint; tantumque examinandi sunt quoad ea, quæ Fiscalis, vel adversarius de novo exponit ad pleniorum delicti probationem. Hæc tamen praxis tantummodo fallit secundum DD. opinionem in caussis, quæ in S. Inquisitionis Tribunali agitantur; quum enim